Apoſtolicæ non valebant, pro eo quòd caſtrum Guargiæ [29], ubi eſt ejus domicilium principale, conſiſtit in diœceſi Rodon. quæ ultra duas dietas à Turonis eſt remota. Verùm replicatum fuit ex parte Reginæ, quòd idem Nobilis Turonis ſatis poterat conveniri, cùm non ſolùm in Rodon. diœceſi, ſed & in Andegavenſi diœceſi exiſtat, eò quòd [o] & caſtra & reditus plures habet in ipſa: & caſtrum, de quo quæſtio vertitur, in eadem eſt diœceſi, quæ à Turon. nequaquam ultra xij. leucas [30] diſtat. Idem quoque adjecit, quòd cùm dicta Regina jus ſuum coram domino feudi proſequi debuiſſet, literæ Apoſtolicæ non valebant, cùm non faciebant mentionem, quòd dominus feudi fuerit requiſitus, & ipſe in exhibenda juſtitia extiterit negligens vel remiſſus: ſubjiciens, quòd eædem literæ falſitate expreſſa fuerant impetratæ, eò quòd ſuggeſtum fuerat, caſtrum illud ad eandem Reginam ratione dotalitii pertinere: cùm nec ab initio, nec durante matrimonio à viro ſibi fuerat in donationem propter nuptias aſſignatum. Ad hoc autem fuit ex parte ipſius Reginæ reſponſum, quòd vidua ſpoliata, irrequiſito feudi domino, ſpoliatorem ſeu detentorem rei coram Eccleſiaſtico Judice poterat convenire, cujus intereſt viduas defenſare: [*Et infrà α.*] Mandamus quatenus ſi vobis conſtiterit dictum Nobilem terram & manſionem habere in Andegavenſi diœceſi, in qua interdum conſuevit commorari, & ipſam diœceſim ultra duas à Turon. non diſtare dietas, & in eadem litigioſam rem eſſe: non obſtantibus exceptionibus aliis, quæ in petitorio potiùs, quàm in poſſeſſorio, quod Regina contra eundem Nobilem intentabat, locum habere videntur, in ipſo negotio juxta priorum continentiam literarum ratione prævia procedatis.

o quòd in ipſa diœceſi, &c.

[α *Nec obeſt quòd ſibi caſtrum illud non fuit aſſignatum, cùm claræ me. Jo. Rex Angliæ, hæres & ſucceſſor viri ſui* [31] *caſtrum præfatum in Concabin.* [32] *pro aliis rebus dotalibus eidem conceſſit, & ipſa illud pro dote diu pacificè poſſediſſet. Ad hoc autem fuit ex parte Nobilis prædicti replicatum, quòd prædictus Rex Jo. hæres* [33] *non fuerat Regis Richardi, nec dominus Andegaviæ, ſed ejus caſtri raptor potiùs & invaſor: & ita jus quod ipſe nequaquam habuerit, transferre non potuerit in Reginam. Ad quod ſic pars Reginæ reſpondit, quòd contra reſcriptum exceptio hujuſmodi non valebat, nec locum habebat in poſſeſſorio, quod eadem contra dictum Nobilem intendebat. Unde vos aures hujuſmodi exceptionibus frivolis adhibentes, in principali negotio procedere hactenus diſtuliſtis in ejuſdem Reginæ gravamen non modicum & jacturam. Nos igitur volentes ut finis litib. imponatur, diſ. v.*]

¶ Pith. [26] *B.*] Berengariæ Garciæ Regis Navarrorum filiæ, quæ nupſit Richardo I. Angliæ Regi.

[27] *Sergei.*] *Segrei*, gallicè *Sigré en Anjou*, Vveſtmonaſt. &c. complices ejus Nannetenſis, Redonenſis & Andegavenſis diœceſis detentatores caſtri de Segorio, &c. V. C. *caſtri de Sergio.*

[28] *Joannis Papæ.*] *Innocentii Papæ.*

[29] *Guargiæ.*] V. C. de Vvirgia, de Vvirthia.

[30] *Ultra xij. leucas.*] Octodecim millia paſſuum.

[31] *Viri ſui.*] Richardi.

[32] *Concabin.*] *Concanbium.*

[33] *Rex Joannes hæres, &c.*] Philippus Rex Franciæ Arturum filium fratris majoris Richardi Regis mortui ſine liberis contra Joannem patruum tutatus eſt. Matth. Paris *pag.* 372. Junge *cap. novit. ſup. de judiciis.*

XVI. Gregorius IX. fratri Palmerio [34] Canonico S. Trinitatis. [c. an. 1230. *Româ in Angliam.*]

Laici uſurpantes jura Eccleſiaſtica, velut ſacrilegi per Judicem Eccleſiaſticum compelluntur.

Conqueſtus eſt nobis Bononienſis Epiſcopus, quòd Poteſtas & Commune Bononien. temporalem juriſdictionem, quæ in quibuſdam caſtris & villis Eccleſiæ Bononienſis competit pleno jure, & in cujus quaſi poſſeſſione fuiſſe ac eſſe dignoſcitur, per violentiam uſurpare præſumunt: *Et infrà.* Cùm autem valdè ſit iniquum ea, quæ collata ſunt, pro remedio peccatorum venerabilibus Eccleſiis vel relicta, aut eis juſtis modis aliis acquiſita, aliis uſibus applicari, propter quod meritò invaſores ipſarum rerum, tanquam ſacrilegi, ſunt anathemati uſque ad ſatisfactionem congruam ſupponendi. *Et infrà.* † Mandamus, quatenus ſi tibi conſtiterit de præmiſſis, monitione præmiſſa, per cenſuram Eccleſiaſticam ceſſare ipſos ab hujuſmodi, & ſatisfacere de præteritis damnis & injuriis, appellatione remota, compellas.

¶ Pith. [34] *Palmerio.*] *Paulinio.*

XVII. Idem Epiſcopo Dulmenſi. [c. an. 1230. *Româ in Angliam.*]

Privilegiatus ut non teneatur reſpondere niſi in certo loco: ſi in alio loco reſpondere vel ſolvere promittit, ibi poterit conveniri, & etiam ubi habet domicilium, ſecundùm J. And.

Dilecti filii J. & A. cives Romani, ſua nobis petitione monſtrarunt, quòd cùm Abbati S. Genovefæ Pariſienſis, ſuper quadam pecuniæ ſumma [35], contra R. prædeceſſorem tuum literas impetraſſent, tu proponi feciſti, quòd omnibus Anglicis eſt à Sede Ap. indultum, ut ſuper cauſis pecuniariis, citra mare conveniri non poſſint, propter quod idem Abbas in negotio non proceſſit. Verùm, quia & ſi fuiſſet privilegium tale conceſſum, non tamen prodeſſet illis, qui ſe certo loco reſpondere, vel ſolvere, adverſariis promiſerunt [36], cùm ibi & ubi domicilium habent, valeant [p] conveniri. Mandamus, quatenus eiſdem de pecunia ipſa cum juſtis & moderatis expenſis, & congrua ſatisfactione damnorum (uſuris omnino ceſſantibus) ſatisfacias, ut teneris. Alioquin eidem Abbati noſtris damus literis in mandatis, ut in commiſſo ſibi negotio (propoſita ex parte tua indulgentia non obſtante) juxta prioris mandati noſtri tenorem ſine diſpendio moræ procedat.

p l. contraxiſſe, de act. & obl. & Bart. in l. 1. C. de ſumm. Trinit.

¶ Pith. [35] *Pecuniæ ſumma.*] V. C. addit, quam Epiſcopo Romæ agenti Eccleſiæ ſuæ negotia crediderat.

[36] *Promiſerunt.*] *L. hæres, §. ult. ff. de Judiciis. L. contraxiſſe, ff. de obligat. & action.*

XVIII. Idem Abbati Trecen. [37]

Quanquam Laici poſſint juriſdictionem non ſui judicis prorogare, Clerici tamen non poſſunt, niſi Epiſcopi diœceſani conſenſus accedat, & judex cujus juriſdictionem prorogare volunt, ſit Eccleſiaſticus.

Significaſti [q] nobis, quòd P. Clericus ad petitionem C. mercatoris ſe tuæ juriſdictioni ſubjecit, ſi in termino nunc elapſo, de pecunia mutuata non ſatisfeciſſet eidem: *Et infrà.* Inquiſitioni tuæ taliter reſpondemus, quòd licèt privatorum conſenſus eum, qui juriſdictioni præeſſe dignoſcitur, ſuum poſſit judicem conſtituere [38], Clerici tamen in judicem non ſuum (niſi fortè ſit perſona Eccleſiaſtica, & Epiſcopi diœceſani voluntas accedat) conſentire non poſſunt.

q Vide Ferrandum Vaſquin. *lib.* 1. §. 9. *de ſucceſſ. reſol. nu.* 95.

¶ Pith. [37] *Trecen.*] *Treſdon.*

[38] *Judicem conſtituere.*] Aliud olim obtinuit. Vide *Concil. Aurel.* 4. *can.* 20. *&c. cap.* 1. *&* 2. *ſup. hoc tit.*

XIX. Idem [39].

Legitimè citatus, tenetur coram Judice citante cauſam proſequi, non obſtante, quòd poſt citationem mutaverit forum.

Propoſuiſti nobis, quod quidam ſubditus tuus ad petitionem cujuſdam [r] adverſarii ſui, à te legitimè citatus ad cauſam, quia poſtmodum juriſdictionis alterius eſſe cœpit, tuum intendit judicium declinare. Porrò tuæ prudentiæ dubium eſſe non credimus, quòd is in prædicta cauſa jus revocandi forum non habet, quaſi ab illo jam præventus.

r *Dictio*, cujuſdam, *deeſt in quibuſdam manuſcr.*

¶ Pith. [39] *Idem.*] Fratri P. Canonico.

XX. Idem.

Quiſque Clericus poteſt in curia Romana conveniri, licèt aliàs ſpecificè forum ibi non ſortiatur: habet tamen ex cauſa jus revocandi domum.

Licèt ratione delicti ſeu contractûs aut domicilii, ſive rei, de qua contra poſſeſſorem cauſa movetur, quibus forum regulariter quis ſortitur, Epiſcopus veſter apud Sedem Apoſtolicam conventus non fuerit: quia tamen omnium Eccleſiarum mater eſt eadem [40], & magiſtra, ritè compelli potuit, ut ibi ſuis adverſariis reſponderet: niſi pro alia juſta [41] & neceſſaria cauſa veniſſet, quam ſi tunc allegaſſet, jus revocandi domum ſalvum fuiſſet eidem.

¶ Pith. [40] *Mater eſt eadem.*] Sic & olim cùm Roma eſſet communis patria. *L. nec enim, §. ſi cùm, ff. ex quib. cauſ. majores, &c.*

[41] *Juſta.*] Ut *cap. ult. inf. de dilation.*

DE LIBELLI OBLATIONE.

Titulus III.

I. Ex Concilio apud ſanctum Medardum habito [a]. [c. an. 854. *in Gallia.*]

Actor tenetur in ſcriptis libellum porrigere. Vel ſic: *Judex non debet admittere actorem ad litigandum, niſi priùs ei libellum in ſcriptis offerat.* Hoc dicit per alia verba.

Ignarus [1] [b] Epiſcopus dixit: Habetis libellum reclamationis vel poſtulationis? Illi reſponderunt, ſe præ manibus nullum habere libellum. Ignarus [2] Epiſcopus dixit [c]: oportet vos ſecundùm Eccleſiaſticam autoritatem, reclamationem veſtram libelli ſerie declarare [d], eámque veſtris manibus roboratam, ſynodo porrigere, ut tunc vobis canonicè valeat reſponderi. Et tunc ipſi fratres libellum conſcribentes porrexerunt.

a Medardum monaſterium eſt in urbe Sueſſionenſi, ubi id Concilium habitum eſt. Burc. *lib.* 2. *dec. c.* 192. Ivo, *p.* 6. *ca.* 269. *& c.* 1. *eod. tit. in* 1. *Compil.*

b Iſmarus. *al.* Hincmarus.

c Vide *l. ſi quando, C. unde vi, & l. ſi homicidii, C. de accu. & authen. de judi. §. oportet. colla.* VI.

d allegare.

¶ Pith. [1] *Ignarus Epiſcopus.*] *Hincmarus Archiepiſcopus.*

[2] *Ignarus Epiſcopus.*] *Hincmarus Archiepiſcopus.*

II. Innocentius III [3]. [c. an. 1210. *Româ in Galliam.*]

Cùm agitur reali, non ſufficit rem generaliter peti, ſed debet ita ſpecificari, ut evitetur obſcuritas & æquivocatio.

Significantibus [e] [4] T. & R. fratribus noſtro fuit Apoſtolatui declaratum, quòd cùm inter ipſos ex una parte, & V. ex altera, ſuper quadam terra coram Judicibus delegatis tracti fuiſſent in cauſam, oblato eis libello: illi (cùm plures terras haberent) ut terra illa, ſuper qua quæſtio vertebatur, oſtenderetur eiſdem, à Judicibus poſtularunt: quod cùm ipſi facere denegarent, ad noſtram audientiam provocarunt. Quocirca mandamus, quatenus ſi eſt ita, revocato in ſtatum debitum, ſi quid poſt appellationem hujuſmodi noveritis attentatum, &c.

e Vide Lanfr. *in ca. quoniam. §. probationes, infrà de prob.* & quatenus hîc agitur de libello incerto & obſcuro, Jaſ. *in §. ſed iſtæ, Inſt. de act.* Dec. *in c. dilecti, ſup. de jud.* & Paul. de Caſtr. *conſ.* 145. & Alex. *conſ.* 181. & 184. *in* 2. *vol.*

¶ Pith. [3] *Innocentius III.*] Magno Gregorio Archidiacono, & Guillelmo Normano, & Gregorio de Grotiis, Canonicis Sueſſion.

[4] *Significantibus.*] Repetitur *inf. de appellat. cap.* 49.

III. Gregorius IX. Archipreſbytero Civitatis Novæ, & M. Canonico Culmen. [5] [c. an. 1235. *Româ in Pruſſiam.*]

Non tenetur reus reſpondere libello in actione perſonali, ſi non exprimitur cauſa petendi.

Dilecti filii fratres Eccleſiæ ſanctæ Mariæ de Hiſpida, ſua nobis petitione monſtrarunt, quòd cùm Prior & Conventus ſanctæ Mariæ ad Carceres [6], ipſos ſuper quadam pecuniæ ſumma coram Priore ſanctæ Trinitatis Veron. autoritate Apoſtolica conveniſſent, ex parte ipſorum fuit excipiendo propoſitum, quòd cùm dicti Prior & Conventus nollent exprimere in porrecto libello [f] conventionali, quare ſibi dicta pecunia deberetur, ſuper hoc minimè reſpondere tenebantur: & quia dictus Judex exceptionem hujuſmodi admittere denegabat, noſtram audientiam appellaverunt. Ideóque mandamus, quatenus ſi eſt ita, revocato in irritum, &c.

f Vide *l. ſi. C. de an. excep. & l.* 1. *ff. de eden.* per Bart.

¶ Pith. [5] *Culmen.*] V. C. 2. *Clugienſi.*

[6] *Mariæ ad Carceres.*] Taxa Beneficiorum, *Mariæ Carcerum*, diœceſis Paduanæ.

DE MUTUIS PETITIONIBUS [1].

Titulus IV.

I. Alexander III. Vulterano Epiſcopo [a] & Abbati de Spongia. [c. an. 1180. *Româ in Campaniam.*]

a Malè alii, Archipreſbytero.

Judex etiam delegatus, compellit actorem ad reſpondendum reo in cauſa reconventionis, & utramque cauſam ordine ſucceſſivo ſimul audiet: & unâ ſententiâ terminabit. Hoc dicit.

Ex [b] literis: [*Et infrà α.*] Quoniam rationis ordo exigit [c], ut Plebanus & Clerici Maturen. Abbati & fratrib. Maturen. Monaſterii, de iis, quæ adversùs eos proponunt, debeant in veſtra præſentia reſpondere, cùm ſibi ex ipſis coram vobis à Sede Apoſtolica delegatis [2] juſtitiam poſtulant exhiberi: Mandamus, quatenus actione Plebani & Clericorum propoſita, & reſponſione facta, monitione præmiſſa, compellatis eoſdem memoratis Abbati & Fratribus in continenti [3] coram vobis ſuper ſuis quæſtionibus reſpondere, ut viciſſim poſtmodum rationes partium audientes, concordiâ vel judicio utriuſque negotium terminetis.

b Poſt Concil. Lateran. ſub Alex. III. *p.* 11. *c.* 1. & 2. *eod. tit. in* 1. *Compil.*

c Vide *l. cùm Papinianus, in fin. C. de ſent. & inter. omnium judi.*

[α *Veſtris accepimus, quòd dil. filii noſtri Abbas & Fratres Maturienſis monaſterii, ſuper quæſtionibus quas Plebanus & Clerici Maturien. adversùs eos proponunt, veſtrum parati ſunt ſubire examen, ſi illi in continenti debeant de ſuis quæſtionibus reſpondere. Unde,*]

¶ Pith. [1] *De mutuis petitionibus.*] In Gallia reconventio non habet locum in foro ſæculari.

[2] *Delegatis.*] Aliud in arbitro de certa re. *cap.* 6. *ſupr. de arbitr.*

[3] *In continenti.*] *L.* 1. §. *ult. ff. de extraordin. cognit. L.* 11. §. 1. *de juriſdict. omn. Judic. L.* 22. *de Judiciis. L.* 1. §. *ult. quæ ſententia ſine appellat. reſcind. poſſ. Nov.* 96.

II. Celestinus III. Rothoma. [d] Decano. [c. an. 1195. *Româ in Galliam.*]

d *al.* Archiep.

Modus procedendi datus per reſcriptum in cauſa conventionis, intelligitur repetitus in cauſa reconventionis.

Prudentiam [e]: *Et infrà.* Sanè conſuluiſti nos, utrùm cùm cauſa appellatione remota committitur, & reus coram eodem Judice actorem convenerit, & actor ſuper reconventione appellationis obſtaculum interponit, an ſit hujuſmodi appellationi deferendum? Nos verò ita ſentimus, quòd cùm actoris & rei eadem ſit conditio, & uno eodémque jure circa appellationis remedium debeat uterque cenſeri, ſicut deſiderat actor, ut ſibi juxta mandatoris reſcriptum juſtitia fiat appellatione remota: eodem modo reconvenienti debet in ſua juſtitia reſpondere.

e Pars *c. prudentiam. ſup. de offic. judic. de. & c.* 2. *eod. tit. in* 11. *Compil.*

DE LITIS CONTESTATIONE [1].

Titulus V.

I. Gregorius IX. Abbati S. Joannis in Vineis [2]. [c. an. 1230. *Româ in Galliam.*]

Non per poſitiones & reſponſiones, ſed per petitionem in jure propoſitam, & reſponſionem ſecutam, fit litis conteſtatio, quâ omiſsâ nullus eſt proceſſus.

Olim inter Epiſcopum Novienſem [3] ex parte una, & Capitulum Eccleſiæ ſancti Quintini ex altera, ſuper quibuſdam injuriis, & excommunicationum ſententiis, & quibuſdam aliis articulis orta fuit materia quæſtionis: *Et infrà.* Judices factis quibuſdam poſitionibus, & reſponſionibus ad eaſdem; auditis etiam, quæ partes voluerunt proponere coram eis, cauſam eandem ad examen Apoſtolicum remiſerunt. Procuratoribus igitur partium propter hoc in noſtra præſentia conſtitutis, quamvis poſitiones & reſponſiones hinc inde ſuper pluribus articulis factæ fuerint coram Judicibus memoratis: quia tamen litis conteſtationem [a] non invenimus eſſe factam, cùm non per poſitiones, & reſponſiones ad eas, ſed per petitionem [4] in jure propoſitam, & reſponſionem ſecutam conteſtatio litis fiat, proceſſum ipſorum, de fratrum noſtrorum conſilio, irritum duximus nunciandum.

a Vide Bart. & Fulgoſium, & Paulum *in l. cauſas, C. de tranſ. Soc. in reg.* 295.

¶ Pith. [1] *Conteſtatione.*] *Sive inchoatione, Novell.* 112.

[2] *S. Joannis in Vineis.*] diœceſis Sueſſionenſis, Ordinis S. Auguſtini.

[3] *Novienſem.*] *Noviomenſem.*

[4] *Sed per petitionem, &c.*] *Concluſionem.* Vide *cap. dudum*, 54. §. *partibus, de electione. L.* 1. §. 1. & §. *ſin autem reus, C. de jurejur. propter calumniam.*

UT LITE [a] NON CONTESTATA NON PROCEDATUR AD TESTIUM RECEPTIONEM, VEL AD SENTENTIAM DEFINITIVAM.

a *l. un. C. eo. & l. Aurelius, §. idcirco, ff. de liber. leg.*

TITULUS VI.

I. Innocentius III. Abbati ſancti Proculi [1], & L. [2] Canonico Bononienſi. [c. an. 1204. *Româ in Flaminiam.*]

Si agatur de adulterio ad ſeparationem tori, & ante litis conteſtationem reus eſt contumax, poteſt excommunicari: ſed teſtes recipi non poſſunt, nec cauſa definiri.

Ad [b] hæc Deus [3]: [*Et infrà α.*] Cùm cauſa, quæ inter R. & B. uxorem ejus vertitur, autoritate Apoſtolica vobis commiſſa fuiſſet, tandem procurator ejuſdem R. libello uxoris, quo virum ad ſeparationem tori [4], & ut dotem reciperet, de adulterio accuſabat, noluit reſpondere, donec Advocatus ejus veniret, inducias poſtulando. Qui cùm hujuſmodi ſæpè petendo, vobis illudere videretur, tandem ad præſentiam veſtram accedens, dixit ſe reſpondere paratum: ſed die ſtatuto cùm crederetur reſponſurus libello, reſtitutionem uxoris primò fieri poſtulavit, ne ſecùs fieret appellando [c]. Verùm quia dicebat mulier ſe virum habere ſuſpectum, & idem procurator nec de mulieris impunitate cavere, nec veſtro ſe curaſſet poſtmodum conſpectui præſentare, vos teſtes mulieris recipere ſtuduiſtis: [*Et infrà β.*] Conſultationi veſtræ taliter reſpondemus, quòd licèt ordo judiciarius in aliis controverſiis ſit ſervandus, & in matrimonialibus cauſis, non uſquequaque ſervetur: quia tamen in præſenti negotio non eſt actum de fœdere matrimonii, ſed de crimine adulterii, (per quod ad ſeparationem conjugii, non ad conjunctionem tenditur, quia lite non conteſtata, teſtes fuerunt recepti, & atteſtationes etiam publicatæ, ſive deferendum, ſive non deferendum appellationi fuiſſet, non eſt ad definitivam ſententiam procedendum. Potuit tamen [5] præfatus R. propter ſuam contumaciam, vel etiam procuratoris (ſi ſciens non purgaverit eandem) excommunicationis ſententiâ innodari.

b *Cap.* 1. *eod. tit. in* III. *Compil.*

c Vide *auth. qui ſemel. C. Quomodo & quando ju. & ibi gloſſ.*

[α *In Apoſt. Sede conſtituit totius Eccleſiæ magiſtratum, ut quia ſecundùm Scripturæ ſententiam, fecit Deus hominem rectum, ſed ipſe ſe immiſcuit quæſtionibus infinitis, ad eandem nodi quæſtionum difficiles referantur, ſuo recto judicio diſſolvendi:* Et infrà. *Ad Apoſtolatûs noſtri notitiam literarum veſtrarum inſinuatione pervenit quòd.*]

[β *Et atteſtationibus publicatis diligenter auditis quæ fuerunt ipſius nomine allegata. Quia verò cùm de ferenda ſententia cum viris prudentibus tractaretis, diverſorum inveniſtis diverſa conſilia, quibuſdam dicentibus appellationi ſimpliciter deferendum, aliis autem appellationi deferendum non eſſe, nonnullis etiam aſſerentibus appellationem nullatenus tenuiſſe, cùm mulier non ſit reſtituenda viro ſuſpecto, niſi de impunitate ſufficienti* [6] *præſtita cautione, vos in tanta varietate nos conſulere voluiſtis, qualiter eſſet in hoc negotio procedendum. Nos igitur.*]

¶ Pith. [1] *Sancti Proculi.*] Ordinis S. Benedicti.

[2] *L.*] *Lanfranco.*

[3] *Ad hæc Deus, &c.*] Extat integra *pag.* 232. *Epiſtol. Innocent.*

[4] *Ad ſeparationem tori, &c. de adulterio accuſabat.*] *L. cum conſenſu, C. de repud.* civiliter tamen potiùs quàm criminaliter. *L.* 1. *C. ad leg. Jul. de adulter.* Et ideò per procuratorem tunc agitur.

[5] *Potuit tamen, &c.*] Non ſunt hæc in antiqua Decretali, & videntur à Bernardo Papienſi addita.

[6] *Niſi de impunitate ſufficienti, &c.*] *Cap. ex tranſmiſſa, & cap. literas, inf. de reſtitut. ſpoliator.*

II. Idem Hieroſolymit. Patriarchæ, & Archiepiſc. [d] Caſſen. [c. an. 1210. *Româ in Palæſtinam.*]

d Cæſarien.

In cauſa reſtitutionis, contra contumacem, lite non con-